

GELDRIAE DVCAT. Tab.


In tres diuiditur regiunculas, quarum quæ Issulæ vicina est, *Wesalandt* vocatur, quæ verò trans Vidrum, quæ Vecht vocant, fluuium sita est, *Szent* dicitur, quæ verò Vestphaliæ proxima est, *Tobent* appellatur. Habet hæc prouincia vrbes manibus cinctas octo: harum omnium Dauentria caput est, ad dextram Issalæ ripam, ciuitas ampla nobilisque, sumptuosissimis ædificijs ornata, ac populosa, eius incolæ humani ac hospitales, vnde oriundus insignis Geographus Iacobus à Dauentria, quem præsens quoque Chorographiæ primum authorem agnoscit. Hinc Zvvol, Naualia Ptolomæ. Imperialis, ad Aam fluuium, vbi mox Vidro iungitur. His annumeratur Campena, etsi in læua Issalæ ripa sita sit, circa eius fluuij ostia, quibus sinui maris Australis iungitur. In hac prouincia quoque Zutphaniensis, cuius supra meminimus, & Berghensis siti sunt Comitatus, vulgò *Berghenbergt*, à prima Rheni sectione, inter Ortum & Septentrionem distans ad milliare. Aër regionis salutaris ac purus: Terra plana ac humilis, montes rarissimi sunt, ijdemque syluis saltibusque confiti. Ager est fertilissimus, & ad quamuis culturam aptus, frumenti in primis ferax, hinc pascuis fœcundus, vnde pecorum ingentes alunt greges: quin & ex remotissima Dania eò pascendi saginandique gratia, numerosi greges aguntur, lætissima siquidem ac amplissima, præsertim circa Rheni, Vahalis, & Mosæ defluxus prata habentur. Quatuor magna & nauigabilia flumina Geldriam & superiore Bataviæ regionem perlabuntur, Mosæ scilicet Galliæ belgiæ amnis, ac tria Rheni ostia, Vahalis qui Helios, Vacales, Vallis ac Balus aliàs dicitur. Hic Batauorum insulam à parte Meridiana præterfluit. Lecca seu Lycus, qui veteris Rheni appellationem seruat, & Issula aliàs,

Fleuus quoque dictus. Intra hunc & Leccam Vcenauia. i. Paludum insula, vulgò *Welan* appellata, iacet. Præter hæc & alia quædam ignobiliora flumina eandem perluunt, cuiusmodi VVorm, Roer, Sualm, Issula vetus, Berckel, Niers, Regge, Aa, & Vidrus. Circumscribitur ab Oriente partim Rheno Cliuensique Ducatu, versus Eurum Iuliacensi Ducatu, qui eam diuidit in duas, verum inæquales partes, à Meridie, separaturque à Brabantia Mosæ flumine, in Occidentis parte habet Valckenburgensem prouinciam, eidem linea recta Batauorum insula seu Hollandia, cum Vtricensi tractu obuertitur. Hinc ad Corum respicit sinum maris, quem *Sudenst* vocant. Ad Septentrionem verò Frisiam respicit. Versus Aquilonem Vestphaliam habet contiguam. In Occidente circa Culemburgum, à vigesimi septimi gradus longitudinis minuto 56. incipit, extenditurque in Orientem circa VVachten-donck ad 29. gradus longitudinis minutum 9. à Meridie verò circa Montfort sub 52. gradus latitudinis minutum 32. incipit, ac in Boream Gelmuydenam vsque sub 54. gradus 5. minutum extenditur. Incipit itaque post principium noni climatis, quod est per Agripinam Coloniam, vsque ad, aut paulò ultra principium decimi, quod est per Tanais ostia. Eius itaque Parallellus Australissimus est 19. ac dies prolixior horarum 16 $\frac{1}{2}$. medius est vigesimus dies ibidem prolixior horarum 16 $\frac{3}{4}$. Borealissimus autem est 21. diesque ibidem prolixior horarum 17. Si miliaria requiras, continet in longitudine. i. ab Occalu in Ortum mil. Ital. 60. Germa. 15. In latitud. autem, hoc est, à Meridie in Septentrionem mil. Ital. 93. Germa. 23 $\frac{1}{2}$.

FRISIAE PROVINCIÆ, TABVLA.

Frisiorum nomen, quamuis variè deducant nonnulli ab exteris: tamè vetustum id ei genti nominis est. Autumant nonnulli Troianum quendam Grunium ab Asię minoris regione nomine mutuato, eam appellasse Phrysiam, nonnulli verò deinde, vt de qua sermo fieret, perspicere possent, ad differentiam vtriusque eam quidem Phrygiam, hanc autè Frisiam scribi iussere. Phrysius certè Ptolomæus vocat. Cæteri Phrysiam, ab Phrysiō Alani filio, fratris Mela, ac Nepotis Sem dictam arbitrantur: hocque deinceps Phrysones minoris Asię prouinciam suo gentilitio nomine impertisse ferunt. Tacitus eos Germaniæ indigenas esse dicit. Viglius Zvviemus, vir vndiquaque doctissimus, ac Regiæ aulæ præses apud Bruxellenses, natione Friso, affirmat Frisones nomē suum antiquissimum à seculis inde sibi vindicasse, nec vnquam, vti propemodum omnes reliqui Germanorum populi, id mutasse, eoque Aboriginum nomine sese insigniuisse, quod in tanta caducarū omnium rerum confusione, ipsi originis suæ nomen intercidere non sunt passi. Veteres itaque hi Frisij & sedes & nomen tuentur suum, quanquam nonnullis & Chauci olim dicti creduntur: fit autem id vel ex ignorantia, vel ex antiquorum Geographorum scriptis haud probè intellectis. Chauci siquidem non Frisij, sed eorum fuere vicini, ac cum Frisij à Rheni ostio, cui Fleuo nomen est, ad Amasium vsque fluuium continuo iuxta maris littora tractu habitent, Chauci iisdem trans flumen vicini fuere, tandemque abolito veteri vocabulo, toti in Frisiorum nomē concessere, hodieque Orientales Frisij, *die Oest-vriesen*, *Embder-vriesen*, *Wor-storiesen*, *Edder-vriesen*, sequitur *Sandt-vriesen* & *Sticht-genosen* vocantur, quos hæc nostra tabula non complectitur. Ad horum differentiam, hæc nostra Frisia, Occidentalis, & VVest-frisia dicitur, quæ eadem & vera ac antiqua illa Frisia est, quæ sola, vt volunt, iisdem sedibus nomen suum tuetur. Hi itaque Frisij Vvigeonum. i. maritimorum & littoralium natio sunt. Littora Germaniæ aquilonaria tenentes. Gens ipsa ferox, robusti corporis, ac animi intrepidi, ad necem prona, & libertatis studiosa, inhospitalis, exterorum, peregrinorumque impatiens. Castitatis amās, natos natasque suas incorruptas educant ad maturam vsque ætatem: nec matura sunt ijs coniugia, vnde proles accipiunt robustiores, in grandiuicula corpora enascentes, potationibus plus æquo addicti. Rei pecuariæ magnopere dediti, cum innumeros greges alant, ac boues omnium quos Europa habet optimos ac maximos, eorum procreet regio, licet Anglia generosos gignat: ita vt hinc in omnem propemodum Europam innumeri abigantur. vaccis etiam fecundissimis abundant. Equos bello aptissimos educat magis quam gignit. Indies autem magis magisque mercaturæ se applicant, nauticæ etiam rei studiosi, piscationibus insuper plerique inhiant. Hæc regio olim suos habuit reges, quos nonnunquam in duces vertere, mox in reges denuò euexere. Hodie poten-

tissimum Hispaniæ Regem Philippum agnoscunt, qui dominij in eos ius obtinet. Diuiditur regio in Orientalem & Occidentalem Frisiam, quarum illam dictum est hæc tabula non comprehendi, nec veram esse Frisiam, sed posterius in id nominis concessisse: sub ea autem comprehenduntur minores maioresque Chauci, quorum hi à Visurgi iuxta Oceani littora ad Albim vsque habitant, (quo loco Prema Episcopalis vrbs conspicitur) quatenus hodie Frisiam Orientalem extendi dicunt: illi verò ab Amasio fluuiō Frisiorum Occidentalium termino ad Visurgim iuxta eadem littora confident. Itaque & hi Vvigeones sunt gens, cæteroquin nobilissima potentissimaque, vt quæ immensum terrarum spacium non tenent tantum, sed & implent. De his autem hæc sunt Plinij lib. 16. cap. 2. verba. Sunt verò & in Septentrione nobis gentes visę Chaucorum, qui maiores minoresque vocantur, vasto ibi meatu, perpetuis bis dierum noctiumque singularum interuallis, effusus in immensum agitur Oceanus, æternam operiens rerum naturæ controuersiam, dubiumque; terræ sit, an maris pars. Illic misera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia structa manibus, ad experimenta altissimi ætus: cassis ita impositis, nauigantibus similes, cum integunt aquæ circumdata naufragijs, cum verò recesserunt, fugientes cum mari pisces circa tuguria venantur. Non pecudes hos habere, non lacte ali, vt finitimos, ne cum feris quidem dimicare contingit, omni procul abacto frutice. Vlua & palustri iunco funes necunt ad prætexenda piscibus retia, captumque manibus lutum ventis magis quam Sole siccantes. Terra cibos & rigentia Septentrione viscera sua vrunt. Potus non nisi ex imbre seruato serobibus in vestibulo domus. Hactenus Plinius. Hæ itaque gentes vtræque; vna cum Frisij, Saxonibus annumeratae sunt, quorum etiam imperio olim subiecti, ac etiamnum eorundem lingua vtuntur. Chaucorum autem si cui sedes intueri libuerit, is Germaniæ chartam consulat, ac nonnihil etiam ex Septentrionalium regionum delineatione venari licebit. Hic verò Occidentalem, quæ & vera & antiqua illa Frisia est, persequemur. Eam in quatuor status diuidunt, quorum eminentior est Gruningensis, reliqui sunt comitatus de Ostergoy, comitatus de VVestergoy, & comitatus septem Saltuum, vulgò *Seuerbolden*. Cuius horum subiunt sua oppida pagique; Regionis caput est Groninga, Philæum Ptolomæo, à Grunio Troiano (vt volunt) sic appellata, qui eius fundator creditur, ciuitas est legibus, armis, viris, natura, arteque; munita ac perpolitata, aquæ-ductibus manufactis, quos canales vocat, decorata. Hæc nobis incomparabilem illum, artium, literarumque decus, Rodolphum Agricolum edidit. Leevarden, ciuitas opulenta, ac Ostergoyensis & VVestergoyensis, & septem Saltuensium comitatum caput. Hæc aulam forumque habet, quo litigantium causæ cognoscuntur, dijudicanturque. Huic vicinus est Zvviem pagus, Viglij Præsidis Bruxellensis natale solum.



FRISIA
 ANTIQVISSIMA.
 TRANSRHENVM.
 PROVINCI. ET.
 ADIACENTIVM REGIONVM
 NOVA ET
 EXACTA DESCRIPTIO

Doccum, Oftergoyensis diœcesis oppidum, Gemmam Frisium Medicum ac Mathematicum insignem nobis genuit: ita non cessat hæc prouincia subinde doctissimos quosque viros in orbem emittere. Stauerem oppidum olim potentissima ciuitas in stricto maris, cui *Zuderyse* nomen est positum, inundationibus autem frequentissimis ad inferiorem iam multò fortunam redacta est. Sunt & alia eiusdē regionis nobilia oppida, cum illa tum etiam prædicta pleraque arcibus castrisque munita, quæ singula hîc enumerare non est nostri instituti. Aër utcunque salutaris est, nisi quâtum paludum exhalatione infectatur, quanquam & id labis, si quid est, ventorum beneficio expurgatur. Terra plana est ac pascuis fœcundissima, stagnis tamen, lacubus ac paludibus intercisa, aliquando maris sinubus, aliquando tota insularis, quo ad sementes incul-tiua, ad reliqua verò fœcunda, latissimis pratis amœnissi-ma. Reliqua terra exhauritur cespitibus, quas *Turuetz* vocant, pro igne alendo egestis, de quibus Plinij verba paulò ante enumerata intelligenda censeo. Est vsque ad eò humilis, submissa, profundaque Regio, præsertim qua Oceano est propinquior, vt vix ægreque ab ineunte Au-tumno ad multum Ver vsque, peregrinandi, iterum faciendi modus iniri alius queat, quam vt cymbis vehantur, vnde plures vicos, villas, pagosque videre est fortissimis aggeribus, terraque paulò altius eleuata, ac supra reliquam emi-nenti, locis opportunis extructos. Maris sæuitijs ita ob-noxia, vt Choro flâte, sæpenumero periclitetur, ac superio-ribus annis 1570. nò pecudum modò, sed & hominum ad myriades vsque iacturam fecerit. Frumenti ob præli-batas causas parum ferax, inundationes enim annuæ, quæ præter id quod maturè accidant, tardè etiam cedunt, se-mentem aut extinguerent, aut per agros omnes disparèt. Vnde ex vicina Dania, ac locis mediterraneis sollicitè id conuehant. Vineta quoque ob nimium frigus, ventorumque rigorem regio nò patitur. Hunc autem defectum partim Gallia ac Hispania, partim Germaniæ Rhenique accolæ, partim etiam cereuisiæ potus subleuant. Syluas etiam si habeat regio, vt pote eas, quas *Seuenbolden* vocat, versus sinum maris Australis: tamen hæc sufficientes non sunt, vt ijs ligna foco ministrent. His itaque natura subuenit procreata gleba illa pingui ac bituminosa, quæ vento in-durata, lignorum penuriam subleuet, quam hi in tanta habent abundantia, vt & vicinis regionibus ijs subuenire queant: plures insuper etiam si his destituerentur, arte ac industria naturæ defectum supplere didicerunt, qui fimo bouino vento siccato, lignorum vice vtuntur. Fluminibus alluuntur riganturque Vidro, Kuyndero, Hoorndiep, Scutendiep, Amasio vulgò *Emb*, qui ibidem Embden oppido, quod Comitatus dignitate gaudet, cum arce ac

castro nomen indidit, ac Oceano miscetur. Hîc sanè vir quidam doctissimus, nescio qua re persuasus Iaduam am-nem Amasio comitatum in Oceanum effundi ait, qui qui-dem nò cum Amasio, sed cum Visurgi flu. Oceano affun-ditur circa Kustrios & Dulmenhorst, vbi adiacens ora Butiadem dicitur. Iadua autem qui & Iada Iaderaque di-citur à Ptolomæo nò hoc loco, verum trans Cymbricum Chersonesum, inter Sueuum, Viadrumque flu. in Sido-niorum agro, vbi hodie Mechelburgensis ducatus conspi-citur, positus est. Amasio autem Loe flu. iungitur, lacumque ingentem efficiunt, priusquam Oceano misceantur. His plura etiam sunt ignobiliora flumina, quæ partim manu arteque facta, regionem in plures quasi insulas secant. Sunt præterea eidem nonnullæ in Oceano vicina Insulæ, quarum præcipuæ habentur Schellinck & Amelant, reliquæ sunt Schiermonigoge, Corensant, &c. Integer autem ille tractus Oceani, qui Frisiæ obtenditur accolis *Tobert* vocatur, quamuis inter insertas sibi insulas subinde alia atque alia nomina sortiatur, vt sunt Tulie, Boerdiep, Lauvvers, à Lauvve flu. qui ibidem mari affunditur, ita *West- & Oost-Emb* ab Amasio fluuio, Frisiorum prouinciam circumscripturi, eam nò vt multi alij terminabimus, quod hæc tabula totum eum tractum, quem ipsi Frisiæ annu-merat, nec complectatur, nec Frisia sit: quos enim *Edert frisen, Strant-frisen, West-frisen* ipsi dicunt, si Frisij sunt, in Frisia non habitant, sed in Cymbrica Chersoneso que-rendi, Holsatiensem, Ditmarsensemque ducatus hodie possident, generali vocabulo Danemarchi appellantur. Frisia itaque à Septentrione & Occasu mari Oceano ro-ditur, à Meridie sinu maris Australis, vulgò *Zuderyse*, Transsalanaque prouincia terminatur, ad Ortum Ama-sio fluuio subtenditur, qui eam ab vtrisque Busactoris, VVestphalisque discriminat. Incipit autem à Stauerem oppido, quod habet 27. grad. longit. ac Orientem versus extenditur ad Oert oppidum, Amasio fluuio propinquum, quod gradus longitudinis habet 28. & minuta 43. ad Au-strum autem initium sumit à Vollenhouio oppido, quod latitudinem habet 53. grad. 9. minut. ac in Septentrionem extenditur vsque in Oceanum, vbi Amelant Insulam com-plectitur, sub 54. grad. nouè minutis latitud. Incipit itaque à medio 9. climatis, quod est per Rheni ostia, ac patet vsque post principium 10. climatis, quod est per Tanais ostia, ita vt parallellus eius Australissimus sit 20. diemque ibidem habeant prolixiorum horarum 16 $\frac{3}{4}$. Borealissimus autem sit 21. aut paulò vltra, diesque proinde prolixior horarum 17. ac paulò plus. In longitudinem autem cõplectitur milliaria Germa. quidem 20. Italica autem 80. In latitudinem autem habebit German. 15. Italica autem 60.

HOLLANDIAE COMITATUS.

XXXIII

Hollandiæ nomen probatissimorum authorum nonnulli dici volunt Holtlandiam, terram lignosam significat, Holt enim inferiores Germani pro Holz, seu ligno dicunt, & landt terram sonat, quod terram hanc olim syluis lucisque horruisse persuasum habeant, quo pacto autem hæ excisæ, erutæue sint, vix constat: nisi quod opinantur nonnulli Oceani inundatione hoc accidisse, aut potius impetuoso maris assultu, quo immensa arenarum vi aduecta, Rheni catarrhactæ obstructæ, eius aquæ intumescere coactæ, ac vento hinc inde conflictatæ, quicquid arborum erat obuium, euulsere. Rheni quoque alueos ac ostia mutare, quo tempore Rhenus Lecco flu. coniunctus est, quod factum dicitur Anno à Christo nato 850. Veteris verò aluei vestigia adhuc animaduertere licet. Terra autem inter hunc & Vahalim interiecta proprio nomine Bataua dicebatur, de qua paulò post dicemus. Huic verò sententiæ hodie refragantur opiniones plurimorum, qui Hollandiam dici asseuerant, tanquam terram cauam seu cauernosam. Cui rei fidem etiam facere aiunt euentum, non ita pridem animaduersum: Ferunt enim prope Harlemum, vaccam depascentem gramina, in cauernam quandam incidisse, ac triduo post in maris sinu ei oppido versus Orientem opposito, repertam esse. Suffragatur etiam eidem sententiæ Belgarum prouerbiū, quo dici solet: *Hollandt bollandt*. Hæc olim Bataua dicebatur, à Batauo ut quidam dicunt, filio regis Cattorum, qui cum adiunctis sibi eiusdem populi viris, ob seditionem à popularibus suis pulsus, terram hanc habitatore, cultoreque vacuam occuparunt, fixisque tugurijs colere cœperunt. Cuius rei argumentum est Catwicus locus peninsulam, terminans ad Septentrionem, quæ vox non obscuræ gentis veteris nomen prodit. Ducis verò eorū nomen retinuisse videntur oppida nonnulla, ut Battenberga, Battoburgum, Batauodurum, quod nunc *VVyck te duersteden* dicitur. Huius nominis aliam apud Becanum reperimus rationem: Dicit enim vocem Batauiam compositam ex Cimbricis dictionibus, *Bat* & *hauen*, quorū illud commodum vtilitatemque, hoc portum significat, quasi vtilem portum dicat quis. Et tamen non ineptum videretur, nisi priorem rationem confirmarent prædicta superior insulæ pars, etiamnum Batauicum nomen retinens, de *Betau*, intra Vahalim & Leccam posita: Incolæ eius Catti fuere, ut testatur Tacitus in libello quem de situ & moribus Germanorum conscripsit, inquit: Omnium harum gentium (supple Ciskhenauarum) virtute præcipui Bataui non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus, & seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani Imperij fierent. Idem historiæ Augustæ lib. 20. Bataui, inquit, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum, seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam occupauere, quam mare Oceanum à frôte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit. Hos itaque Hessorum populares esse præter grauisimi huius authoris sententiam, confirmat etiam Battenberga Hessorum municipium, de quibus etiam Plutarchus hoc modo refert: Bataui sunt inter Germanos optimi equites, insulam habitantes, quam Rhenus circumfluit. Regio hæc mirum in modum populosa, hominumque diues, ut plurimum procerorum, veruntamen bene proportionatorum corporum, ac animosorum, ciuilitate ac politia multum à maioribus differentium: ex utrisque enim feris agrestisque moribus, humanitatem, politiam, ciuilitatem mirum in modum excolunt: placidi, iocundi, ingeniosi, benigni, ac hospitales sunt, contra certè quam de ipsis tradiderit Lemnius, alioqui fide dignus author, qui eos simplices, improvidos, incautos, infacetos, inertes, segnes, somniculosos, stolidos, ac minimè astutos esse affirmat. Fœminæ eorum elegantes, formæ albæ, & in rebus omnibus gerendis magnæ dexteritatis. Virilia ut plurimum officia exequentur, præsertim quo ad mercaturam. vnde regionem peragrantibus triplo plures fœminæ quam viri obuiæ sunt, quæ cum currubus, tum cymbis ac holcadibus rerum gerendarum causa vtrò citroque commeant. Nusquam gentium, teste Erasmo Roterodamo Batauo, mediocriter eruditorum

frequentior numerus est. Vulgus autem, ut plurimum mercaturæ, rei pecuariæ, nauticæ ac piscatoriæ deditum: ad voluptates autem aliquanto propensiores, ob rerum omnium exuberantiam sunt, quibus voluptatis studium imitari solet. In domesticæ suppellectilis nitore palmam vni concedunt Hollandiæ negotiatores, quibus pleraque orbis pars peragrata est. Hæc olim suos reges habuit, quorum meminit Suetonius in Caligula cap. 44. Verum Anno Christi 863. à Carolo Caluo Francorum rege in Comitatum redacta est, ei que præfectus est Theodorus è regio stemmate ortus, isque primus Hollandiæ comes fuit, qua quidem dignitate adhuc fruitur. Hæc regio sub Austriæ Archiducibus, Nobiles per paucos hodie habet, vnde in pauciores regiunculas distrahitur, diuiditurque. Egmontensem tamen comitatū, Brederodensem seu Vianensem Baronatum, ac Vltraiactensem dicecensim continet. Quinque præterea minores Insulæ eius iurisdictioni parent, versus Meridiem positæ, quæ Zelandias prospicit: earum hæc sunt nomina *Voorn*, in qua Brieliæ & Geruliet ciuitates: Insula frugifera satis ac tritici ferax. Gaurede altera est, quæ eiusdem nominis oppidum continet. Huic versus Euronotum adiacet *Somersdijck*, aliàs etiā *Voorn*, eò quod à frôte Hollandiæ sit posita. Ei versus Vulturum *Pierschille* & *Corendijck* quarta & quinta Insulæ opponuntur. Præter soli fertilitatem nihil notatu dignum habentes. Bona etiam pars huic regioni accessit superioribus annis, circiter Annum nimirum 1555. quo tempore magnus maris Australis sinus aggeribus circumdatus, ac è maris faucibus ereptus est: estque terra ea frumenti feracissima, habens in circuitu miliaria Flandrica nouem. Verum Anno 1570. 10 Octob. sæuiente Coro, denuò inundata est eadem pars, verum incolarum labore ac industria fauente D. Opt. Maximo, postliminio iam vindicata est à fluctibus. Negant aliam inueniri regionem, quæ simili spatio tantum oppidorum contineat, mediocri quidem magnitudine, sed incredibili politia. Mœnibus circumdata habet 29. quarum sex sunt præcipuæ. Dordracum, quatuor fluminum concursu in Insulam redacta, Mosæ nimirum, Vahalis, Lingæ, ac Meruæ, qui eandem Anno 1421. abolerunt à continenti, Brabantia enim cohærebat, quo tempore etiam ultra septuaginta pagi inundatione submersi, & ad centena hominum millia cum omnibus fortunis ac possessionibus interiére. Ciuitas est ampla, pulchra, opulenta, ac præpotens, ædificijs elegantissimis ac magnificis ornata. Herlemum omnium quæ in Hollandia sunt vrbium amplissima, cui incolarum suorum testimonio Typographicæ artis inuētio debetur, quâuis hoc beneficij Maguntinensi vrbis acceptum referant nonnulli. Verum ne quid laudis debitæ vtrique detrahatur, aiunt eius inuentorē ante perfectā artem morte præuentum, eius deinde seruum Maguntiacum profectum, vbi continuo exercitio ad perfectionem ars perducta est, ita ut hæc alitrix seu nutrix, illa artis mater sit. Delft vel Delphi, oppidū à fossis seu aquæ ductibus sic appellatum, fodere enim *delfen* sua lingua dicunt. Hinc oriundus erat Scelus ille David Georgius, qui cum illiteratus esset, tamen tantæ erat perspicacitatis ingenij, ut scētā supra quam abominabilem condiderit, atque eo tandem inēptiæ ac impudentiæ profectus, ut se verum Mesiā dicere non dubitaret: is tandem Basileæ metu detecti sceleris, vitam cum morte mutauit, ac post mortem inquisitione facta de eius vita, doctrina ac scriptis, rogo additum est eius cadauer: quod quidem in huius oppidi contumeliam minimè narro, cum vicissim viros honorandos ac suspiciendos plurimos genuerit. Est hic locus omni propemodum orbi notissimus ex cereuisia quam abundantissimè eius incolæ coquunt ac distrahunt. Leyden quam Ptolomæus Lugdunum Batauorum dicit. Hinc oriundus fuit Ioannes à Leyden factus, qui se regem fecerat Anabaptistarum ac Monasteriensis vrbem Westphaliæ, vi armisque occupabat, ac tandem ab Episcopo vrbis expugnata, cauea ferrea inclusus, è turri suspensus, ac tandem miserè, uti meruerat, supplicio affectus est. Goudiæ quoque ciuitas est populosa, diuesque, ad Insulam flu. posita. Amsterodamum, emporium post Antuerpiensē omnium celeberrimum, quæ habet Belgica, quò quotannis appellunt classes ducentarum ac

K k

trecen-